



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XLIV. Hermannvs XXIII. Arch. VII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Dux oculatissimus verò inter Colonienfes fuit an. 20. vaticinijs & miraculis clarus, quem multis profecuti sunt laudibus *Albertus Kranzius, Brovverus & Scriptores etiam A catholici.* Mortuum dicunt an. 1075.

XLII. HILDOLPHVS, XXI. ARCH.
V. ELECTOR.

Hildolphus annorum 4. Archipræful ex humili loco in Cæsaris Henrici IV. aulam translatus, partim ad aras ritè faciendo, partim meritis suis alijs præclaris adeò sibi devinxit D. Annonis, aut veriùs divini Numinis favores, ut cum librum suo & proximorum bono peraccommodum rogasset D. Archipræfulem, hic continuò responderit: habebis brevè & librum, & Sedem Annonis: unde cecinit Poeta:

Ex humili scandit sacræ ad fastigia Sedis
Hildolphus, quod ei dixerat Anno priùs,

XLIII. SIGEVVINVS XXII. ARCH.
VI. ELECTOR.

Sigevvinus 10. annorum Antistes, in Eiffia natus, D. Annoni ob insignia merita non minùs carus & acceptus, quàm Hildolphus habebatur: testimonii loco esse poterat, quòd pari vaticinio prædixerit Anno vates Segevvinus Coloniensem Infulam: monumenti instar sit versus:

Eiffia Sigvvinum genuit, prædixerat Anno
Mitram.

XLIV. HERMANNVS XXIII. ARCH.
VII. ELECTOR.

Hermannus 10. annorum Archipræful, natus Comes de Notheim, aut veriùs Henrici cognomento Pinguis ad Visurgim Ducis filius, Richenzæ Lotharii II. Augustæ conjugis frater, D. Severini sacras Reliquias honoratori loco posuit

fuit & exornavit; insignem etiam promeritus est laudem moderatâ parsimoniâ, & redituum Ecclesiasticorum curâ sedulâ, quod indicant nobis verba:

3 Ossa Severini gemmis ornavit & auro
Nobilis Hermannus sanguine, dives opum.

XLV. FRIDERICVS I, XXIV. ARCH.
VIII. ELECTOR.

FRidericus Comes Forojuliensis, aut testibus Scriptorum Colonienfium calamis è Suevorum Comitum stirpe prognatus, cum D. Norberto Parthenopolis Archiepiscopo egit cominus & eminus, ut quaqua versus prodesent Ecclesiæ. Apostolicum Friderici Zelum unâ cum aliis multis dilaudavit Monasterium in Insula Rhenana, Rolandi dictâ, & alterum in monte S. Apollinaris munificentissimè extractum. Sedit annis 32. mortuus an, 1131.

S E C U L U M XII.

XLVI. BRVNO II, XXV. ARCH.
IX. ELECTOR.

Bruno Comes de Altena in Westphalia natus, tribus in Ecclesiis floruit Colonix & Confluentix. Merita ejus tanta fuerunt, ut licet epilepsix morbo laboraret, & Godefredus Sanctensis Præpositus æmulorum potentissimus multis placeret, nihilominus Brunonem eligendum Archipræsulem censerent Canonicorum plures, & suaderet Imperator Lotharius II. Nemini nempe Elector hic displicuit magis, quam ipse sibi: quare non nisi multorum precibus, & D. Bernardi consiliis persuasus, Colonix Solium conscendit, postquam jam Treuirensium Insulam neutiquam admisit, Innocentio II. Pontifice
Bru-